

XI.

Et brev fra Chr. Machabæus til Henrik Rantzau.

Ved underbibliotekar *Carl S. Petersen.*

Nedenstående brev fra Christian Machabæus Alpinas til statholder Henrik Rantzau meddeles efter en afskrift i det håndskrift på Breitenburg, hvorefter jeg tidligere i Kirkehist. Saml. 5. R. III 569—71 har meddelt et brev fra Niels Hemmingsen og i Danske Magazin 5. R. VI 212—25 to breve fra Albert Meier.

Om Christian Machabæus henvises til Rørdams Universitetshistorie II 584—91.

Henrico Ranzovio Produci Cimbrico

S. D. Christianus Machabæus Alpinas.

Recepi literas tuas, illustris et magnifice domine Ranzovi, una cum munerum mihi gratissimorum additamento;

quæ utraque cum de tua in me singulari benevolentia cumulate testentur, ago tibi ingentes ex animo gratias, meaque vicissim studia afferrem, si tuæ virtuti ac singularibus in me tuis meritis responderent; quæ quia iis sunt omni ex parte inferiora, præter meæ in te observantiæ, fidei et gratitudinis significationem nihil exhibere aut ulterius de me polliceri hoc tempore volo; nisi forte affulserit aliqua occasio de te bene merendi, tum nec voluntatem in me nec omnium officiorum meorum apparatus desiderabis, quæ te vel non efflagitante tibi tuisque rebus semper erunt obvia. Remitto maioris muneris loco carmen lugubre nuper a me evulgatum et memoriæ ac meritis Illustrissimi et Clementissimi Regis nostri indelebilis memoriæ consecratum, jejunum quidem et admodum exile, sed quod de meo affectu et justissimo mærore nonnihil testetur, orans ut illud qvalecunque sit boni velis consulere. Forte limatius aliquid et prolixius suo tempore prodibit, cum recentius hoc vulnus cicatricem induit; quod utrum sit unquam futurum, plane dubito. Ita enim meum animum luctuosissimus obitus Svavissimi Regis nostri perculit, ut temporis processu et diuturnitate magis in me augeatur dolor quam descreseat, præsertim cum omni momento ante oculos meos magnitudo virtutum et meritorum ipsius obversetur; sed divinæ voluntati acquiescendum est.

Ex Scotia nuper recepi literas, ex quibus intellexi, hos tristissimos rumores de obitu Augustissimi Regis nostri duodecimo statim aprilis isthic in aula sparsos fuisse. Regem vero et proceres hunc casum gravissime tulisse. Fædera inter reginam Angliæ et ipsum renovata esse, et in testimonium veræ benevolentiae reginam circa limites regni concessisse ipsi territoria aliquot, quæ jure belli olim a Scotis ad Anglos translata fuerunt, atque hac ratione præbere ipsi aditum ad hæreditatem regni Angliæ, quæ a morte Illustrissimæ Reginæ Elizabethæ (quam Deus diutissime incolumem conservet) ipsi ex asse debetur. Hispanum nobilem Scotum E. Maxvellium cum exercitu duorum mil-

lium peditum misisse, qui occidentales partes Scotiæ ad rebellionem sollicitet; regem vero in propria persona cum instructissima manu equitum et peditum circa finem maji ipsi obviam ivisse. Sed de eventu nihil constat.

Hispani classis ad instantes julii mensis calendas in oceanum nostrum se effusura est. Angliæ regina cum maximo navium apparatu advenientem exceptura est, modo eventus conatui responderit, ut hinc nihil triumphi ad suos Iberos sit relaturus Hispanus. Sed Deus ante omnia orandus est, ut paternam ecclesiolæ suæ rationem habeat, spiritu suo moderetur et dextera fortitudinis suæ tueatur adversus rabiem diaboli et furores membrorum ipsius: cujus protectioni te et omnia tua commendo. Hæc volui breuiter ad te scribere, ut pro singulari benevolentis tui in me animi testificatione gratitudinem meam levi harum literarum indicio erga te declararem. Æternum bene vale, illustris et magnifice Ranzovi, cum honoranda Domina uxore tua, a me et conjuge mea humanissime salutatus. Soræ scribebam XXVIII junii anno 1588.

(Codex Breitenburgensis R 119, fol. 472—76).
